



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Honori[i] Reggi[i] Kemnathensis De Statu Ecclesiae Britannicae Hodierno, Liber Commentarius

Horn, Georg

Dantisci, 1647

Synodus Nationalis Reformati orbis, unicum compenendae Angliae
remedium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34026

continere potuit, quin omnes omninò Ecclesias ortho-
 xas calcaret fastu suo: Adeò, *inquit*, versatus sum in con-
 troversia de Imputatione fidei & Christi activa obedientia
 in justificatione, ut heic provocem omnes ordine Presby-
 terianos, sive in Synodo congregatos vel sigillatim, in An-
 glia, Scotia, Francia, Hibernia, si probare possint ex Scri-
 tura, per rationes & argumenta, vel fidem non imputari
 propriè, vel activam obedientiam Christi, formaliter specta-
 tam, imputari ad justificationem. *Hæc Thraso Cretenfis.*
 Mille calumniarum formas sibi Morpheus ille assumit.
 Tandem Presbyterianos Jesuitis assimilat, furiosâ men-
 tiendi cupidine. Cætera ipsum Edoardum spectant, & tria
 exempla negat vera esse; id quod de Cozeno Rocestriensi,
 Nicolao, & disputatione Calamii cum Anabaptistis refer-
 tur; quæ authori vindicanda relinquimus.

*Synodus Nationalis Reformati orbis, uni-
 cum componendæ Angliæ
 remedium.*

Multi sapientes, rerumque Ecclesiasticarum gna-
 ri viri, in ea opinione sunt, finem controversiis,
 quæ Angliam exagitant, nunquam impositum
 iri, nisi vocatâ ex transmarinis quoque regionibus
 Nationali Synodo. Idque inprimis Belgarum exem-
 plo illustant atque confirmant. Nam parem ferè, Inde-
 pendentium & Arminianorum, rationem esse. Utrosque
 cavillationibus suis, & tergiversatione, Ecclesiam pariter
 ac Rempublicam pessundare, nisi Senatus Theologorum
 Reformati orbis, eos ad modestiam & ordinem, salubribus
 consiliis, & si opus, censuris, revocet: Neque negari po-
 test,

test, Belgium salutem suam, ac quæ secuta est, florentem hostibusque formidatam potentiam, secundum Deum, Synodo Dordracenæ debere. Et magna spes est, Parliamentum omnibus aliis frustra tentatis, tandem huic remedio, quod restat, assensurum. Nam de Regis quidem voluntate, nemini dubium est, qui multoties, sedandis Ecclesiæ turbis, Synodi Nationalis mentionem iniecit. Quæ nisi maturè convocetur, verendum est, omnia in deterius & sectas lapsura. Quantum indices licentiæ sibi turbones illi assumant, nemo absque horrore cogitare potest. Veluti quod nuperrimè sacrilegium, in fortissimi Herois Essexii tumulto, admiserunt. Adeò ne illis quidem parcent, qui vindices Religionis & libertatis maximi fuerunt; sed agere, raptare, cuncta pro lubitu, mente limfata, manu sacrilegâ, sectariorum Anglorum est. Deus misereatur populi sui, & omnes motus, quia humanitus desperata remedia sunt, ipse componat!

F I N I S.



IN